



The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **THAMARASSERENSIS*** QUIBUS DAM LOCIS
AB EPARCHIA TELLICHERRIENSI SEIUNCTIS

NOVA CONDITUR EPARCHIA NOMINE THAMARASSERENSIS Constat non modo Eparchiam

Tellicherriensem late patere sed eius etiam fidelium numerum miro incremento nunc auctum iam esse necnon vel magis magisque augeri, quibus omnibus apte prospiciatur oportet. Audiendae igitur omnino videntur preces, quas Congregatio pro Ecclesiis Orientalibus, instante venerabili Episcopo Tellicherriensi eidemque rei favente venerabili Fratre Augustino Cacciavillan, Archiepiscopo titulo Amiternino atque Apostolico in India Pro-Nuntio, Nobis ipsa hodie ad hoc adhibuit, ut, certis quibusdam a memorata Eparchia plagis separatis, iisdem ibi nova constituantur Eparchia. Quapropter Ipsi, qui de universa Ecclesia assiduam pastoris curam agimus, vi et potestate Nostra Apostolica harumque Litterarum virtute ab Eparchia Tellicherriensi, quam diximus, regiones Calicutensem ac Malappuramensem distrahimus novamque ex iisdem Eparchiam condimus nomine *Thamarasserensem*, ab urbe videlicet « Thamarasserry » nominandam, ubi et Sedes eparchialis et Ecclesia Cathedralis erit. Eadem autem Eparchia nunc constituta ipsi metropolitanae Ernakulamensi Ecclesiae suffraganea erit. Quod reliquum est, hac ipsa die aliarumque tamen Litterarum Nostrarum vi Episcopus etiam eligetur, qui primus novae praesit Eparchiae eamque regat rite. Quibus ita hic statutis, Apostolicas has Litteras nunc et in posterum tempus ratas esse volumus, quibuslibet rebus contrariis haud obstantibus. Datum Romae, apud S. Petrum, die duodetricesimo mensis Aprilis, anno Domini millesimo nongentesimo octogesimo sexto, Pontificatus Nostri octavo.

AUGUSTINUS Card. CASAROLI

a publicis Ecclesiae negotiis

D. SIMON Card. LOURDUSAMY

Congr. pro Eccl. Orient. Praef.

Iosephus Del Ton, *Protonot. Apost.*

Angelus Lanzoni, *Protonot. Apost.*

*A.A.S., vol. LXXVIII (1986), n. 9, p. 908

Copyright © Dicastero per la Comunicazione - Libreria Editrice Vaticana